



2b. 15



EXERCITATIO ETHICA,
De
TEMPERAN-
TIA, MAGNANIMITA-
TE ET MODESTIA;

Quam

Jehovah Prosperante,
IN ELECTORALI MARCHICA
Frankofurtana,

SUB PRÆSIDIO
M. JOANNIS FRANCIJ

pro ingenii modulo,
tueri conabitur,

PETRUS SCHLÜTERUS,
Neobrand. Megap.

Ad diem 26. Martij
hora 7. matutina,
loco destinato.



Typis exscripsit

MICHAEL KOCHIUS

Anno 1625.

91
103



VIRIS

*Reverendis, Religionis sanctitate commenda-
tissimis, clarissimis, consultissimis, specta-
tissimis,*

DN. M. ANDREÆ SCHLUSSELBURGIO,
Superintendenti Neobrandenburgensi, totiusq;
Stargardiæ diæceseos Inspectori vigilan-
tissimo:

DN. JOACHIMO SCHULTZIO: J. U. D.
Consiliario Stolbergensis Reipub. patriæ,
Consuli prudentissimo:

DN. DANIELI KRAUTHOFIO: REIPUB.
Neobrandenburg. Consuli prudentissimo,
meritissimo:

DN. PETRO SCHLÜTERO, NEGOTIATO-
ri & Civi apud Neobrandenburgenses pri-
mario:

*Dnn. Mecænatibus, favoribus & promotori-
bus suis enixim honorandis; Parenti aternum
observando.*

IN

Honoris debiti argumentum,
Gratitudinis sinceræ documentum,
Observantiæ perpetuæ sacramentum,
Benevolentia & promotionis ulterio-
ris incitamentum:

ἡδὺν τὴν ἡμετέραν
Submissè offert dicatq;

RESPONDENS.

EXERCITATIO ETHICA,
DE
TEMPERANTIA, MAGNANIMITATE ET MODESTIA.

Prooemium.

Multa praeclare prolata sunt à Tullio ; sed nihil eo dictum est praeclarior : quo Virtutum fundamentum, dixit TEMPERANTIAM. Enimverò hac sublatâ, pessimam quis servitutem servit, dum ea, quæ optima sunt facere non potest. (Xenoph. l. 4. memor.) Ex adverso hac positâ, animi motus sedantur, perturbationes exterminantur, familia servantur, civitates extenduntur, decenter & quietè singula peraguntur : ut meritò TEMPERANTIA, apud Stobaeum, animæ partium mutua consensio, imperium in voluptates, galea contra lasciviam, oculorū auriga, benevolentiae custos, cogitationum circumcisio, luxuriæ castratio, effervescentis animi hostis, continentiae promotrix, cordis consiliaria, precum & votorum directrix, cognominetur. Virtutum verò illarum, quæ voluptatibus ex honore potissimum ortis, frenum injiciunt, MAGNANIMITATIS dico & MODESTIÆ præstantiam, quis in dubium vocabit ? ILLA certè, non tam nomine magna, quàm re ipsa talis est, cujus ope humana & terrena despiciuntur : cujus presidij, ut vilia pedibus conculcamus, lubrica Fortuna bona ; quæ vulgus hominum tantopere admiratur & colit. HÆC DEO gratissima : utpote quæ nihil magis idoneum homini : quàm nihil tam congruum Christiano : quæ minimè omnium, mentes nostras impotenti temeritatis incursum, transversas ferri permittit. Earum Agone, ut consequens est, ut CHRISTO DUCE, comitante Philosopho, breviter nunc proponamus.

A 2

SECTIO

SECTIO I.

I. TEMPERANTIA est virtus circa voluptates beluinas, gustus & tactus; hoc est, circa voluptates cibi, potus ac Veneris.

II. Non ergo erit *Temperans*, qui à rebus nonnullis abstinet: vel naturâ, vel morbo, vel voto. Coactio quippe in Virtutibus non obtinet.

III. EFFECTA *Temperantia* in corpore sunt sanitas & pulchritudo: in animo, conservatio ingenij, judicij, memoriæ, alacritas ad exercendas virtutes.

IV. *Temperantia* est vel Frugalitas vel Castitas.

V. FRUGALITAS est *Temperantia*, in voluptatibus cibi ac potus.

VI. *Frugalitatis* OFFICIA sunt triplicia. *Quaedam* enim pertinent ad voluptatum istarum perfruitionem: *quaedam* ad earum desiderium: *quaedam* denique ad dolorem ex earum absentia ortum. Quâ ipsa ratione & CASTITATIS officia distribui possunt.

VII. OFFICIA voluptatum perfruitionem, in cibo ac potu si constantia, sunt vel primaria; vel secundaria.

VIII. *Primaria* spectant cibi ac potus, tum quantitatem, tum qualitatem: i. e. suavitatem, ejusq; contrarium, & pretium.

IX. In *quantitate* & *qualitate* cibi potusque hi observandi CANONES:

I. Tantum sumas cibi ac potus, quantum indigeas; taliq; utaris victu, qualem vitæ ac valetudinis tuæ ratio requirit, & vitæ genus laboresq; postulant.

X. Cibus vitæ ac valetudini: hæc laboribus honestis servire debet. Itaque alio victu, pro conservatione corporis; alio pro ratione laborum uteris: alio cum æger es: alio cum sanus: alio is, qui literas tractat: alio fossor & arator. Quia enim facultas concoctrix, apud omnes non est una, unus præ altero illæsa *frugalitate*, copiosiore victu uti potest.

XI. 2. Cavendum ne cor, ut Servator noster loquitur, cibo ac potu gravetur; h. e. ne animus ad divinarum rerum

rum

rum meditationem ac devotionem in precibus planè ineptus reddatur.

XII. 3. Non eo est utendum victù, qui cupiditates voluptatum turpium facilè excitat: nec, ut Apostolus loquitur; *carnis curam geras.*

XIII. Hujus loci est JEJUNIUM. Nam si metuas, ne corpus luxuriet, ejusq; stimulos jam sentias: satius est, ei victum ad tempus subducere: ut rationi faciliùs pareat.

XIV. In pretio cibi potusq; hic observandus CANON:

Ne rem familiarem, lautiori ac pretiosiori cibo utens, quàm necessitas postulat, exhaustas: aut id, quod in pauperes conferre debebas, gulæ impendas: aut voluptatum desiderium, deliciarum usu, in corpore excites.

XV. *Coroll. 1.* cibi ac potus condimenta potissima sunt, fames ac sitis,

2. Ea quæ sine fame cupiditatem edendi; sine siti cupiditatem bibendi excitant, ægris permessa sunt.

XVI. In perfruitione voluptatum *officia secundaria* hæc potissimum subministrant observanda:

1. Inter comedendum nec festines nimium: nec plus temporis, quàm necessum est, in cibo ac potu capiendo conteras.

2. Tempestivè, nec crebrò nimis comedas.

3. Ne tum, cum res magis necessariae sunt tractandæ; veluti cum sacris operandum, ventrem cures.

XVII. In *desiderio* voluptatum, adeoq; *dolore*, ex earum absentia orto, quæ servanda sint officia, in CASTITATIS præceptis apparebit.

XVIII. *Frugalitatis* Insigne exemplum apparet in ELIA; cujus cibus erat parcus, panis cinericius & scyphus aquæ è cælo missus. (1. Reg. 19. 6.) In Daniele item ejusq; socijs: (Daniel. 1. 11.) Præterea laudè *frugalitatis* JOANNES BAPTISTA inter natos mulierum *maximus*, insigniter est commendabilis; qui locustis & melle agresti, in solitudine sustentabatur. *Matth. 3. v. 4.*

XIX. FRUGALITATIS species sunt, *Abstinencia* & *Sobrietas*. Illa modum servat in cibo, hæc in potu.

XX. **C**ASTITAS est Temperantia in voluptatibus venereis.

XXI. Requiritur virtus hæc,

1. In omni status hominibus, in genere considerata.
2. In Juvenibus, puellis & omnibus non nuptis *virginitas*.
3. In conjugandis reverentia cognati sanguinis.
4. In conjugibus fides conjugalis, ne alijs adhæreant, néve se in vicem deserant, extra casum adulterij.

XXII. Præcepta virtutis hujus quodammodo sunt duplicia: *quædam* per se, ad eam pertinent: *quædam* per accidens.

XXIII. Quæ *per se* ad eam pertinent, pari ratione ut in Frugalitate, spectant, *vel* ad voluptatum perfruitionem: *vel* ad earum desiderium: *vel* ad tædium ex earum absentia ortum.

XXIV. In perfruitione voluptatum hic tenendus **CANON**: ut ea legitimi matrimonij cancellis circumscribatur, parcissima sit ac verecundissima.

XXV. In voluptatum desiderio observandum: Ne inhonestas voluptates unquam desideres: honestas, moderatè suoq; tempore & ætate.

XXVI. In voluptatum inhonestarum desiderio duobus peccatur modis: *vel* enim decernit quisquam, se iis potiturum, & occasionem tantum expectat: *vel* non decernit quidem: animum tamen earum cogitatione titillat: quæ duo in omnium rerum inhonestarum cupiditatibus vitanda.

XXVII. Si ergo rei turpis cogitatio obrepit animo; illa statim est excutienda, & mens aliò convertenda: quod quivis, obtinere poterit; qui

1. Constans hujus rei propositum conceperit.
2. precibus ac meditationi rerum divinarum vacaverit.
3. Moderatione victus corpus compescuerit, nec Veneri vomenta, aut libidini alimenta suppeditaverit.
4. somnum atque otium vitaverit.
5. honestis studiis ac laboribus occupatus fuerit.

PRÆ

XXVIII. **PRÆCEPTUM** *per accidens* huc pertinens est: ut lingua, oculi, aures manus sint continentes; h. e. nihil dicatur, adspiciatur, audiatur, attrectetur; quod istarum voluptatum desiderium, cogitationemq; vel in nobis, vel in aliis excitet. Proinde gestus, dicta, facta ab omni amore prohibito illegitimoq; avertantur.

XXIX. *Virginitatem* JOSEPHI expugnare non poterat uxor Potipharis. *Gen. 39.* Continentiam *Germanorum* sic commendat **TACITUS**; *Soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt: paucissima in tam numero sa gente adulteria.*

XXX. **CASTITATIS** perfectio est **VIRGINITAS PERPETUA**: h. e. perpetua ab hoc voluptatum genere abstinencia, corporis animiq; puritatem servans: qualis in *Dn. Jesu & Paulo* fuit. Hanc qui capere potest, capiat. An quis autem capere possit, in ætatis juvenilis flore, cognoscendum est.

XXXI. *Temperantia* opposita sunt *Intemperantia & avaritia* seu *stupor*.

XXXII. *Intemperantia* est vitium, quod in voluptatibus cibi, potus, ac veneris modum superat.

XXXIII. **INTEMPERANTIÆ** Effecta sunt, corporis animaq; nocumenta, variæ ægrotudines, mors repentina: unde & dicitur, *Medicorum nutritrix*.

XXXIV. *Intemperantiæ* species sunt, tum **INGLUVIES** sive *Luxuria* aut *gula* cibo & potu corporis animiq; vires prosterbens: qualis *cœna Antonij & Cleopatræ*; tum **LIBIDO**, sive *Impuritas*. Illa *Frugalitati*, hæc *Castitati* adversatur.

XXXV. *Ingluvies* est intemperantia tum in cibo; & bestiis competit, diciturq; *Voracitas*: tum in potu, quam *Ethnici* quoque sunt detestati, diciturq; *Ebrietas*.

XXXVI. De *Ebrietate* dicit *Augustinus*, quod sit nudus dæmon, dulce venenum, summum peccatum, quam qui habet, seipsum non habet: quam qui facit, peccatum non facit: sed ipse totus peccatum.

XXXVII. *Libido* est intemperantia, cum quis in voluptatibus dictu factuq; turpibus, succumbit. De cujus speciebus honestius est tacere, quam loqui.

XXXVIII. **EFFECTA** *libidinum* sunt varia: *Ignominia*, poenæ varia,

varia, morbi, mors, repentina: saepe mors aeterna, cum habitu con-
tracto, non resipiscunt aut vicissim in peccata pristina relabuntur.
SCORTATORES, quippe *ET ADULTERI*, *NON POSSI-*
DEBUNT REGNUM DEI.

XXXIX. *Chorea* rectius omittuntur, quam ducuntur: utpote, quæ
lasciviae adfines, & tum *εὐνοουμένη*, tum *εὐταξία* christiana in-
dignæ.

XL. *Αἰσθησία* sive *stupor*, est vitium, in voluptatibus cibi, potus
& Veneris modum deserens: seu cum quadam naturæ injuriâ, geni-
um defraudans, & necessariis etiam atque honestis voluptatibus ab-
stinens. Sed hoc; adeò rarum est; ut nomen vulgò non invenerit, &
ex *Contrariorum* naturâ potius, *Temperantia* adversa constituatur spe-
cies. Ac quamvis actu ipso *STUPOR* *Temperantia* constitueretur
species, eo *Intemperantia* tamen, multò esset deterior.

SECTIO II.

I. *Magnanimitas* est virtus, in externis, magnis & debitis
honoribus.

II. *MAGNANIMITAS* duobus modis sumitur, tum latè, tum
strictè; pro objecto ejus duplici, quod vel Generale, vel Speciale.

III. *Latè* sumitur pro ea virtute, quæ in despicientia rerum huma-
narum cernitur: quâ ratione tum *Fortitudinem*: tum alias *virtutes*,
quæ bonorum terrenorum cupiditati frenum injiciunt, comple-
ctitur.

Strictè verò pro ea virtute, quæ in bonis externis magnis versatur:
quæ posterior significatio à nobis potissimum attenditur.

IV. *Generale* igitur *MAGNANIMITATIS* objectum est o-
mne id, quod in rebus humanis magnum, difficile, cum labore & mo-
lestiâ conjunctum esse solet. *Speciale* verò, cum in primis *honor* est,
qui maximum rerum externarum bonum, & ipsius dicitur virtutis
præmium, tum consequenter *Divitiæ*.

V. *Honores* circa quos versatur *MAGNANIMITAS*, non sunt qui-
vis; sed magni tantum & minimè vulgares.

VI. Circa *divitias*, satenus versatur *MAGNANIMITAS*, qua-
tenus ad nos ipsos, nostrumq; desiderium explendum referri possunt.
Quâ enim ad alienos usus conferri debent, *Liberalitatis* & *Magnifi-*
centia sunt objectum.

Circa

VII. Circa ignominiam & paupertatem, Magnanimitas versatur non nisi secundario.

VIII. Quâ MAGNANIMITAS latius sumitur, pro ea virtute; quæ in rerum humanarum despicientiâ cernitur, CANONES observandi sunt sequentes:

I. Magnanimus lubricam fortunam quasi jacentem videat & calcet: bonum nullum, præter immortalitatem, sapientiam ac virtutem magnificiat: nec nisi quâ necesse est, appetat aut in iis parandis retinendisq; laboret.

IX. 2. Animo semper sit tranquillo ac constanti, fortunæ ac perturbationi nulli cedat: nec secundis efferatur, nec adversis frangatur.

X. 3. Gerat res magnas, vehementer utiles, publicè præfertim, laboris ac periculi plenas.

XI. Quâ MAGNANIMITAS strictè sumpta circa honores spectatur; CANONES observandi sunt sequentes:

1. Magnanimus sedulam det operam ut Virorum prudentium ac virtute præstantium honore sit dignus, adeoq; quam præclarissima semper suscipiat.

XII. 2. Ut re ipsa ab iis honoretur, moderatè appetere, & honore delato modicè gaudere debet: non propter se, sed propter aliud: partim quia honor ille signum est bonorum virorum erga ipsum benevolentia; quæ non potest non esse jucunda: partim quia inde cognoscere aliquo modo potest, an & quantum in actionibus honestis profecerit: partim denique, quia honores isti, & qui eos antecedit amor, adjumento illi esse potest ad res præclaras suscipiendas, & aliorum utilitati tantò commodiùs serviendum.

XIII. 3. Ne seipsum laudet, aut alios libenter vituperet, atque ita ex illorum ignominiâ, gloriam suam quærat.

XIV. 4. Ne ab alijs honorari postulet, aut verbis an-

B

sam

sam det aliquam : ut laudes suas deprædicent : quod sæpe etiam tunc fit, cum quis seipsum vituperat. Audientes quippe ne silentio vituperationem illam videantur approbare, ipsum contemnere, atque ita odium ejus incurrant ; coguntur dicta illius aliquo modo refellere, & in laudes ejus aliquid dicere.

XV. 5. *Magnanimus* etsi maximè afficiatur honoribus ac laudibus, non ideo tamen intumescat, & vel suis viribus, ingenio atque industriæ omnia adscribat : vel alios homines præ se contemnat : vel denique in virtutis stadio, tanquam ad illius fastigium jam pervenisset, reddatur segnior : sed divinæ benignitati potiùs, quicquid habet ac consecutus est, boni adscribat : & ad laudem ejus, unde omnia in se profecta sunt, referat.

XVI. H. e. quanto major est, tanto se demissiùs gerat, tantoque magis aliorum commodis inservire studeat : non sua bona ; sed & aliena æstimet : in omnibus hominibus Dei veneretur imaginem. Denique, non tam quousque in virtutis stadio progressus sit ; quam quousque adhuc progrediendum cogitet : non plus aliorum de se laudibus, quam conscientiaæ propriae, quam diligenter scrutari debet, credat. Enimverò non minùs magni, quam modesti est animi : honoribus non vinci, & à virtutis tramite abduci.

XVII. 6. **MAGNANIMUS** honores tum vulgi, sine judicio delatos ; tum hominum improborum spernat : magis tamen improborum, quam vulgi. Illi enim prope modum ignominiosi sunt : hi exigui tantùm.

XVIII. Quando tamen *Magnanimus*, plebem cum sapientibus in se honorando consentire videt : honorem istum tanquam præclarorum facinorum occasionem & incitamentum arripere debet. Honor enim ille benevolentiaæ publicæ signum est ; quæ ad multa præclara facienda excitat.

XIX. 7. Magistratus & imperia, ideo nonnuquam accipiat *Magnanimus* : ut tantò ampliorem habeat pluribus bene-

clarorum sæpe factorum, ac beneficentiæ imprimis occasionem prætermittit.

L I. Inter *Magnanimitatis* extrema, deterius est *Superbia*: quia

1. Ad eam, naturâ sumus proniores: unde etiam crebrior,
2. Vehemens naturâ suâ affectus est honorum cupiditas.

Itaque medium ad id quod parum est, accedit propius.

3. Odiosior est, & Deo, & hominibus.
4. Magis est temeraria, & sic magis quoque noxia, tum publicè, tum privatim,

SECTIO III.

I. *Modestia* est virtus, in mediocribus & usitatis honoribus occupata.

II. Gradu *MODESTIA* à *MAGNANIMITATE* differt potius, quàm specie: ut præcepta superius tradita, facile huc accommodari possint. Nam quæ *Magnanimus* observat in magnis honoribus; ea *Modestus* præstat in mediocribus: observatâ tamen circumstantiarum & discriminis ratione. Paulò enim aliter in magnis, quàm in parvis nos gerere debemus.

III. Exemplum *Modestiae* *P A U L U S* est, qui de insania accusatus falsò; honorem suum his verbis, modestissimè defendit: *Non insanie præstantissime Feste, sed vera ac sana mentis verba loquor. Act. 26. v. 25.*

IV. *Lacedæmonij* dicto sanxerunt; *Xenophonte* referente: ut pueri, in publico agentes, manus intra vestes; nec vagos ab iis, qui ante pedes erant, aut districtos oculos haberent: & addit, hæc instituta fuisse: ut juvenus imprimis *Verecundia* & *Modestiae* adsuefieret.

V. *MODESTIÆ* cognatæ sunt, *HUMILITAS* & *CONCORDIA*.

VI. *HUMILITAS* est virtus, quâ quis res secundas, moderatè ferens, submissè se gerit, nemini se præfert.

VII. Oritur *HUMILITAS* ex *Subiectione*, *Noticia sui*, & *consideratione rei absentis*.

VIII. *SUBIECTIO* est, quâ à *DEO*, quicquid habemus, statui-
mus profectum, aliorum iudiciis nos placidè submittimus, & nostra
cum

eum aliis communicamus. *NOTITIA SUI* est, quâ quis propriæ fragilitatis memor, omnia peritura existimat, nisi virtute stabilita. *CONSIDERATIO REI ABSENTIS* est, quâ agnoscimus longè nobis præstantiora pluraque deesse, quàm adepti sumus.

IX. Christianorum HUMILITAS, non tantùm propria modestè extenuat & submissè se gerit; sed & non rarò, de jure suo, in *DEI* gloriam & Ecclesiæ ædificationem commodumq; remittit.

X. Concordia est virtus, quâ homo consensionem & pacem debitam cum omnibus inire & colere est paratus.

XI. Vitia Modestiae opposita eadem sunt, quæ *Magnanimitatis*, graduq; tantùm distinguuntur, quemadmodum & virtutes: possuntq; dici, *Cæcus amor sui & Insensibilitas*.

XII. ILLE est, cum quis, se suaq; omnia; vel corporis, vel animi, vel Fortunæ bona, pluris facit, quàm sunt; vel æstimare oporteat. *HÆC* ex *contrariorum* vi, dici potest, dignitatis omnis & gratiæ, quæ à Deo collata est ignoratio, abnegatio & abolitio.

XIII. HUMILITATI ex *Contrariorum* naturâ, adversatur *Arrogantia* & nimia depressio.

XIV. CONCORDIÆ adversantur, discordia & *μισανθωμία*.



Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

5b-700

Von 7

MC







B.I.G.

Farbkarte #13



ETHICA,

RAN=

NIMITA

ESTIA;

perante,

MARCHICA

DIO

RANCI:

dulo,

ITERUS,

ap.

Martij

na,

CHIUS

91
203

